

SERMO CCCXVII<sup>1</sup>.*De Stephano Martyre, II.*

I. MARTYR Stephanus, beatus et primus post Apostolos ab Apostolis Diaconus ordinatus, ante Apostolos coronatus<sup>2</sup>; illas terras passus illustravit, istas mortuus visitavit (6). Sed mortuus non visitaret, nisi et mortuus viveret. Exiguus pulvis tantum populum congregavit: cinis latet, beneficia patent. Cogitate, charissimi, quæ nobis Deus servet in regione vivorum, qui tanta præstat de pulvere mortuorum. Caro sancti Stephani per loca singula diffamatur: sed fidei ejus meritum commendatur. Sic expectemus consequi temporalia beneficia, ut eum imitando accipere mereamur æterna. Quod nobis beatus Martyr imitandum in sua passione proposuit, hoc attendere, hoc credere, hoc implere, vere est solemnia Martyris celebrare. Dominus noster inter præcepta magna et salubria, divina et altissima quæ dedit Discipulis suis, hoc videtur hominibus grave, quod jussit ut diligant inimicos suos. Grave præceptum, sed grande præmium. Denique cum hoc moneret, videte quid dixerit: « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, » et orate pro persequentibus vos. » Audisti opus, expecta mercedem, et vide quid addat: « Ut sitis, inquit, filii

<sup>1</sup> Alias de Diversis 92. — <sup>2</sup> Cor. Cass. II, fol. 212, Factus est in martyrio primus, qui videbatur in Ecclesiastico ordine esse postremus.

» Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum facit oriri » super bonos et malos, et pluit super justos et injustos<sup>4</sup>. » Hoc videmus, hoc negare non possumus. Numquid dictum est nubibus: Pluite super agros cultorum meorum, et recedite ab agris blasphematorum meorum? Numquid dictum est soli: Videant te qui me colunt, non te videant qui mihi maledicunt? Beneficia de cœlo, beneficia de terra: scatent fontes, agri pinguescunt, arbores fructibus onerantur. Habent ista boni, habent et mali; habent grati, habent ingrati. Qui præstat tanta bonis et malis, putamus nihil servat bonis? Hoc dat bonis et malis, quod dedit et lapidatoribus Stephani: hoc vero servat bonis, quod dedit Stephano.

II. Maxime ergo, fratres, exemplo hujus Martyris, inimicos nostros amare discamus. Exemplum propositum est de Deo Patre, qui solem suum oriri facit super bonos et malos. Dixit hoc etiam Filius Dei, post acceptionem carnis suæ, per os carnis suæ, quam suscepit amando inimicos suos. Qui enim amator inimicorum suorum in mundum venit, omnes prorsus inimicos suos invenit, neminem amicum invenit. Pro inimicis sanguinem fudit: sed sanguine suo inimicos convertit. Inimicorum suorum peccata suo sanguine delevit: delendo peccata, ex inimicis amicos fecit. De his amicis erat etiam Stephanus: imo est, et erit. Ostendit tamen primus ipse Dominus in cruce, quod monuit. Undique enim Judæis frementibus, irascentibus, iridentibus, insultantibus, crucifigentibus, ait: « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt<sup>2</sup>. » Cæcitas enim me crucifigit. Cæcitas crucifigebat: et crucifixus eis de sanguine suo collyrium faciebat.

III. Sed homines pigri ad præceptum, avidi ad præmium, qui non diligunt inimicos suos, sed de illis se vin-

<sup>1</sup> Matth. v, 44, 45. — <sup>2</sup> Luc xxiii, 34.

dicare affectant, nec attendunt Dominum, qui si vellet se vindicare de inimicis suis, non remaneret qui laudaret eum; quando audiunt locum istum Evangelii, quo Dominus in cruce: dixit « Pater, ignosce illis, quia nesciunt » quid faciunt; » dicunt sibi: Ipse hoc potuit, tanquam Filius Dei, tanquam Unicus Patris. Caro enim pendebat, sed Deus intus latebat. Nos autem quid sumus, qui ista faciamus? Fefellit qui iussit? Absit: non fefellit. Si multum ad te putas imitari Dominum tuum, attende Stephanum conservum tuum, Dominus Christus, unicus Dei Filius: numquid hoc Stephanus? Dominus Christus, de incorrupta Virgine natus: numquid hoc Stephanus? Dominus Christus venit, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati, numquid hoc Stephanus? Sic natus est ut tu; inde natus est, unde et tu; ab eo renatus est, a quo et tu; eo pretio redemptus, quo et tu; tanti valet, quanti vales. Unum instrumentum nobis factum est. Evangelium instrumentum est, ubi omnes empti sumus: ubi tu, ibi ille. Quia servi sumus, instrumentum est: quia filii sumus, testamentum est. Ipsum attende, conservum attende.

IV. Multum est ad te, quia infirmos oculos habes, intueri solem: lucernam vide. Suis enim Discipulis dixit Dominus: « Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub » modio, sed super candelabrum<sup>1</sup>, ut luceat omnibus qui » in domo sunt<sup>2</sup>. » Domus, mundus est: candelabrum, Christi crux est: lucerna in candelabro lucens, Christus in cruce pendens. In ipso candelabro lucebat etiam ille, qui prius lapidantium vestimenta servabat, de Saulo Paulus, de lupo agnus, et parvus et magnus; raptor agno-

<sup>1</sup> Cod. Cass. 11, fol. « Sic luceat lumen vestrum coram hominibus. » Ecce lucet lumen Stephani; « Ut videant omnes qui in domo sunt. » Domus, etc. — <sup>2</sup> Matth. v, 15.

rum, et pastor agnorum: in ipso candelabro lucebat, quando dicebat: « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce » Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus » crucifixus est, et ego mundo<sup>1</sup>. Sic luceat, inquit, lumen » vestrum coram hominibus<sup>2</sup>. » Ecce lucet lumen Stephani, lucet lucerna ista: attendamus illam. Nemo dicat: Multum est ad me: homo erat, homo es. Sed non accepit a se. Numquid accepit, et clausit tibi? Fons communis esi: bibe unde bibit. Beneficio Dei accepit: abundat qui dedit; et tu pete, et accipe.

V. Dominus amare et acerbe arguit Judæos, sed amando: « Væ vobis Scribæ et Pharisei hypocritæ<sup>3</sup>. » Quando dicebat ista, quis non diceret quia oderat illos? Venit ad crucem, et ait: « Pater, ignosce illis, quia nesciunt » quid faciunt<sup>4</sup>. » Sic et Stephanus in sermone suo prius arguit: « Dura cervice, et non circumcisi corde et auribus. » Verba sunt sancti Stephani, quando Judæos alloquebatur: « Dura cervice, et non circumcisi corde, et » auribus: vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut et » patres vestri. Quem Prophetarum non occiderunt patres » vestri<sup>5</sup>? » Ista dicendo, quasi odit, quasi sævit. Lingua clamat, cor amat. Audivimus linguam clamantem, probemus animum diligentem. Nam cum ad lapides cucurrissent, duri ad duos, jactabant in illum pares suos. Petris lapidabatur, qui pro Petra moriebatur; dicente Apostolo: « Petra autem erat Christus<sup>6</sup>. » Et cum tanta esset in docendo constantia, videte qualis extiterit in morte patientia. Hi enim ictibus lapidum corpus ipsius quatiiebant, et ille pro inimicis orabat: contundebatur homo exterior, et supplicabat interior. Sed Dominus qui cinxerat, qui probaverat, qui ei characterem, non in manu,

<sup>1</sup> Gal. vi, 14. — <sup>2</sup> Matth. v, 16. — <sup>3</sup> Id. xxiii, 13. — <sup>4</sup> Luc. xxiii, 34. — <sup>5</sup> Act. vii, 51. — <sup>6</sup> Cor. x, 4.

sed in fronte posuerat, spectabat desuper militem suum, iuvaturus certamen, coronaturus vincentem. Denique ostendit se illi. « Ecce enim, inquit, video coelos apertos, » et filium hominis stantem ad dexteram Dei<sup>1</sup>. » Solus videbat, quia illi soli apparebat. Et quid ait pro se? « Domine Jesu, accipe Spiritum meum. » Pro se rogans stetit, pro illis genu flectit; pro se erectus, pro illis curvus; pro se celsus, pro illis humilis: genu flexit, et ait: « Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et hoc dicto, » obdormivit<sup>2</sup>. » O somnus pacis! Qui inter lapides inimicorum dormivit, quomodo in suis cineribus vigilabit? Dormivit securus, quietus in pace; quia spiritum suum Domino commendavit.

### SERMO CCCXVIII<sup>3</sup>.

#### *De Martyre Stephano, V.*

I. EXPECTAT Sanctitas Vestra scire quid hodie in isto loco positum sit. Reliquiae sunt primi et beatissimi Martyris Stephani. Audistis, cum passionis ejus lectio legeretur de libro canonico Actuum Apostolorum, quemadmodum la-

<sup>1</sup> Act. vii, 55. — <sup>2</sup> Ibid. 58 et 59. — <sup>3</sup> Alias 25, ex Sirmondianis. — In antiquis Lectionariis locum iste Sermo cum subsequente occupat proxime ante Sermones de S. Laurentio; ibique inscribitur, *In inventione S. Stephani*: quia videlicet in ea solemnitate, de qua in Carthaginensi Calendario nihil habetur, legi solet. Habitus fuit ipso die quo Stephani reliquiae collocatae sunt in basilica eam ob causam erecta, forte apud Hipponem, ubi ejusdem Martyris *Memoria capit esse* versus initium anni 425, ex lib. xxii, de Civitate Dei, cap. viii.

pidatus sit a Judæis, quemadmodum Domino commendaverit spiritum suum, quemadmodum etiam in extremo genibus fixis oraverit pro lapidatoribus suis<sup>1</sup>. Hujus corpus ex illo usque ad ista tempora latuit; nuper autem apparuit, sicut solent apparere sanctorum corpora Martyrum, revelatione Dei, quando placuit Creatori. Sic ante aliquot annos, nobis juvenibus apud Mediolanum constitutis, apparuerunt corpora sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii. Scitis quod Gervasius et Protasius longe posterius passi sunt, quam beatissimus Stephanus. Quare ergo illorum prius, et hujus postea? Nemo disputet: voluntas Dei fidem quaerit, non quaestionem. Verum autem revelatum fuit ei, qui res ipsas inventas monstravit. Praecedentibus enim signis locus demonstratus est; et quomodo fuerat revelatum, sic et inventum est. Multi inde reliquias acceperunt, quia Deus voluit, et huc venerunt. Commendatur ergo Charitati Vestrae et locus et dies: utrumque celebrandum in honorem Dei, quem confessus est Stephanus. Nos enim in isto loco non aram fecimus Stephano, sed de reliquiis Stephani aram Deo. Grata sunt Deo hujusmodi altaria. Quæris quare? Quia « Præ-tiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus<sup>2</sup>. » Redempti sunt sanguine, qui sanguinem pro Redemptore fuderunt. Ille fudit, ut eorum salus redimeretur: illi fuderunt ut Evangelium ejus diffamaretur. Reddiderunt vicem, sed non de suo: ut enim hoc possent, ille donavit; et ut fieret quod ab ipsis fieri potuit, ille donavit. Exhibendo dignationem, dedit occasionem. Factum est, passi sunt, calcaverant mundum.

II. Parum eis fuit contemnere delicias sæculi: poenas, minas, tormenta vicerunt. Pro confessione enim Dei contemnere quod delectat, valde magnum: sed minus est

<sup>1</sup> Act. vii. — <sup>2</sup> Psal. cxxv, 15.

contemnere quod delectat, quam vincere quod molestat. Constitue alicui dictum esse: Nega Christum, et do tibi quod non habes: contempsit quod delectat, et non negavit. At ille persecutor adjecit: Non vis accipere quod non habes? tollo quod habes. Non sic sapit lucrum, quomodo dolet damnum: quia facilius est non manducare, quam vomere. Non acquisivit, non manducavit: quod acquisierat perdidit, quod manducaverat vomuit. In non manducando gula fraudatur, in vomendo stomachus evertitur. Fortior est ergo in confessione Christi, qui damna non timuit, quam qui lucra contempsit. Sed damna qualia? Amissionem pecuniæ, amissionem patrimonii, amissionem rerum omnium, quas habebat. Sed inimicus nondum proxime accessit. Res perierunt, quæ forinsecus adjacebant. Si non sunt amatae cum haberentur, non contristaverunt cum amitterentur. Et ut breviter dicam, quando amittuntur, tantum moeroris dimittunt, quantum cum haberentur amari potuerunt. Sed persecutori illorum temporum, quando occidebantur sancti, parum fuit dicere: Aufero quod habes. Torqueo, inquit, ligo, occido. Hoc qui non timuit, mundum vicit. Certamen pro veritate ad summum perduxerunt, qui usque ad ista certaverunt. Hoc est quod dicit in Epistola ad Hebræos: « Nondum enim » usque ad sanguinem adversus peccatum certastis<sup>1</sup>. » Ipsi sunt perfecti, qui adversus peccatum usque ad sanguinem certaverunt. Quid est adversus peccatum? Adversus magnum peccatum: adversus negationem Christi. Nostis quomodo certaverit adversus peccatum Susanna usque ad sanguinem<sup>2</sup>. Sed ne solæ foeminae hinc habeant consolationem, et viri de numero suo aliquid quærant tale, quale in Susanna extitit: nostis quemadmodum Joseph contra peccatum usque ad sanguinem certavit<sup>3</sup>. Si-

<sup>1</sup> Hebr. xii, 4. — <sup>2</sup> Dan. xiii. — <sup>3</sup> Gen. xxxix.

milis est causa. Et illa habuit falsos testes eos ipsos, quibus consentire noluit, ne peccaret; et ille eam ipsam, cui noluit consentire. Utrique quibus non est ad peccatum consensum, falsum dixerunt testimonium; et qui audierunt crediderunt; sed Deum non vicerunt. Liberatur illa, liberatur et ille. Quid si et morerentur, nonne amplius liberarentur, quando securi coronarentur? Quare dixi, securi coronarentur? Quia nulla tentatio remaneret. Nam etsi liberata est Susanna, adhuc tentanda; et ipse Joseph adhuc tentandus liberatus est. Unde tentandus? quia « Tentatio est vita humana super terram<sup>1</sup>. » Usque ad mortem tota tentatio: post mortem sola beatitudo; sed Sanctorum, quorum mors pretiosa est in conspectu Dei. Et illa ergo contra peccatum, id est, contra adulterium, et ille contra tale peccatum, usque ad sanguinem certaverunt. Majus peccatum est Christum negare, quam adulterium perpetrare. Adulterium carnis est, illicite concumbere: adulterium cordis est, veritatem negare. In fide, in mente, ibi debet esse castitas. Prima ibi est parens Eva corrupta. Vis nosse in illa corruptione magnitudinem iniquitatis? Attende in nobis, qui inde nati sumus, magnitudinem calamitatis. Verbi hujus mei sanctam Scripturam testem citabo: « A muliere, inquit, initium factum » est peccati, et propter illam morimur omnes<sup>2</sup>. » Quod illa accepit in poena, hoc contemnunt Martyres pro victoria. Mortem illis comminatus est Deus, ne peccarent: mortem Martyribus inimicus comminatus est, ut peccarent. Illi ut morerentur, peccaverunt: Martyres mortui sunt, ne peccarent. Unde illis poena inflicta, inde istis gloria suscitata.

III. Certaverunt ergo, et vicerunt. Priores vicerunt: sed non pontem quo transiere præciderunt, et nostrum

<sup>1</sup> Job. vii, 1. — <sup>2</sup> Eccli. xxv, 33.

accessum prohibuerunt. Patet cui placet : nec qualem illi passi sunt, optanda est persecutio; sed quotidiana est humanæ vitæ tentatio. Aliquando ægrotat fidelis, et ibi est tentator. Promittitur illi pro salute illicitum sacrificium, noxia et sacrilega ligatura, nefanda incantatio, magica consecratio promittitur, eique dicitur : Ille et ille pejus te periclitati sunt, et sic evaserunt : fac, si vis vivere; morieris, si non feceris. Vide si non est : Morieris, si Christum non negaveris. Quod dicebat aperte Martyri persecutor, hoc tibi ex obliquo dicit occultus tentator. Fac tibi hoc remedium, et vives : nonne hoc est : Sacrifica, et vives? Si non feceris, morieris; nonne hoc est : Si non sacrificaveris, morieris? Invenisti parem pugnam, quære parem palmam. In lecto es, et in stadio es; jaces, et luctaris. Permane in fide; et dum fatigatus es, vincis. Habetis ergo, charissimi, non parvum solatium, orationum locum. Martyr Stephanus hic honoretur : sed in ejus honore coronator Stephani adoretur.

*Sermo CCCXIX.*

*De Stephano Martyre, XI.*

I. DONET mihi Dominus pauca dicere salubriter, qui donavit sancto Stephano tanta dicere fortiter. Sic cepit ad suos persecutores loqui, quasi timeret eos : « Viri fratres et patres, audite <sup>2</sup>. » Quid lenius? quid elementius? Conciliabat auditorem, ut commendaret Salvatorem.

<sup>1</sup> Alias de Diversis, 51. — <sup>2</sup> Act. vii, 1.

Blande cœpit, ut diu audiretur. Et quia hinc fuerat accusatus, quod verba dixerat contra Deum et legem, ipsam legem illis exposuit, ut ejus legis esset prædicator, cujus accusabatur esse vastator. Hoc et audivimus et audistis : non sunt nostra multa necessaria, quia multa audistis. Hoc tantum exhortor ad Charitatem Vestram ædificandam, ut sciatis sanctum Stephanum honorem Christi quæsisse, ut sciatis sanctum Martyrem testem Christi fuisse, ut sciatis eum tanta tunc miracula in nomine Christi fecisse. Hoc enim salubriter scitis, Stephanum sanctum fecisse miracula in nomine Christi, nullum autem miraculum fecisse Dominum Christum in nomine Stephani : ut discernatis servum a Domino, cultorem a Deo, adorentem ab adorando. Quando enim discernitis, tunc vos amat. Non enim pro se ille sanguinem fudit, sed pro Christo fudit.

II. Videte cui animam suam commendaverit. « Ecce, » inquit, video cœlos apertos, et Filium hominis stantem » ad dexteram Dei <sup>1</sup>. » Vidit Christum confitens Christum, moriturus pro Christo, perrecturus ad Christum, et in extremis cum ictus crebrescerent lapidum, et dura vulnera a duris cordibus jalectarentur, vidit se vicinum, non exitio, sed exitui; vidit animam suam jam exituram, et commendavit eam. Cui? Illi quem vidit, illi quem coluit, illi cui servivit, illi cujus nomen prædicavit, illi pro cujus Evangelio animam posuit, illi commendavit ipsam animam. « Domine, inquit, Jesu, accipe spiritum meum. » Fecisti me victorem, recipe in triumphum. « Accipe spiritum meum. » Illi persequuntur, tu suscipe : illi eji-ciant, tu intromitte. Dic spiritui meo : « Intra in gaudium Domini tui <sup>2</sup>. » Hoc est enim : « Accipe spiritum meum. »

<sup>1</sup> Act. vii, 55. — <sup>2</sup> Matth. xxv, 21.

III. Sed spiritum illius quo accepit Jesus? in quam mansionem? in quod cœlum cœli? quis comprehendit? quis explicat? Vis audire compendium<sup>1</sup>? Audi ipsum Christum : « Pater, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum<sup>2</sup>. » Esse ubi est Christus, quæ potest comprehendere cogitatio? Cujus ad hoc explicandum sufficit sermo? Fidei commendetur, a lingua non expectetur : Audistis, cum Evangelium legeretur : « Ubi ego sum, illic et minister meus<sup>3</sup>. » Græcum codicem legite, et diaconum inveniatis. Quod enim interpretatus est Latinus, minister; Græcus habet, diaconus; quia vere diaconus Græce, minister est Latine : quomodo martyr Græce, testis Latine; apostolus Græce, missus Latine. Sed jam consuevimus nominibus Græcis uti pro Latinis. Nam multi codices Evangeliorum sic habent, « Ubi sum ego, illic et diaconus meus. » Hoc putate dictum, quia hoc est dictum. « Ubi sum ego, illic et diaconus meus. » Ergo bene diaconus ipsius, « Domine Jesu, accipe spiritum meum. » Tu promisisti, Evangelium legi, Evangelium prædicavi, « Ubi sum ego, illic et diaconus meus. » Extiti tibi diaconus tuus, ministravi tibi sanguinem meum, posui pro te animam meam, redde mihi promissionem tuam.

IV. Et pro Judæis, pro lapidatoribus suis, pro cruentis cordibus, pro crudelibus animis quomodo oravit? Genu fixit. Tanta humilitas Stephani, magnus reatus est illius populi. Pro se stans rogavit, pro illis genu fixit. Illos sibi præposuit? Absit : non est credendum. Diligebat inimicos; sed de proximo dictum est : « Diliges proximum » tuum sicut te ipsum<sup>3</sup>. » Quare ergo genu fixit? Quia sciebat se pro sceleratis orare; et quanto erant illi maligniores, tanto se difficilius exaudiri. Dominus in cruce

<sup>1</sup> Forte Compendio. — <sup>2</sup> Joan. xvii, 24. — <sup>3</sup> Id. xii, 26. — <sup>4</sup> Matth. xxii, 39.

pendens, « Pater, inquit, ignosce illis<sup>4</sup> : » Stephanus sub lapidibus genu fixo, « Domine, ne statuas illis hoc delictum. » Secutus est vestigia pastoris sui, tanquam bona ovis : bonus agnus secutus est agnum, cujus sanguis tulit peccatum mundi. Implevit quod ait apostolus Petrus : « Christus pro nobis passus est, relinquens nobis » exemplum, ut sequamur vestigia ejus<sup>2</sup>. »

V. Vide hominem sequentem vestigia Domini sui. Christus in cruce, « Pater, in manus tuas commendo » spiritum meum : » Stephanus sub lapidibus, « Domine » Jesu, suscipe spiritum meum. » Christus in cruce, « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt : » Stephanus sub lapidibus, « Domine Jesu, ne statuas illis hoc delictum. » Quomodo posset iste non ibi esse, ubi erat quem secutus est, ubi erat quem imitatus est?

VI. Triumphavit, coronatus est. Latuit tanto tempore corpus ejus, processit quando Deus voluit, illuminavit terras, tanta miracula fecit, mortuus vivos facit mortuos, quia nec mortuus. Ergo hoc commendo Charitati Vestræ, ut sciatis quod orationes ejus multa impetrant, non tamen omnia. Nam invenimus etiam in libellis qui dantur fuisse illi difficultates impetrandi, et accepisse tamen postea beneficium, non deficiente supplicis fide. Non cessatum est, oratum est, et dedit postea Deus per Stephanum. Sunt verba orantis Stephani, et responsum est illi Pro qua oras non est digna, hoc et hoc fecit. Et tamen instituit, rogavit, accepit. Dedit nobis intelligere, quia in cujus nomine faciebat, antequam carnem deponeret, in ejus nomine faciunt orationes ejus ut beneficia impetrentur, quibus novit ea dari debere.

VII. Ille autem tanquam servus orat. Apocabatur Angelus quidam cum Joanne. Angeli tales sunt apud Deum, ut

<sup>4</sup> Luc. xxiii, 34. — <sup>2</sup> 1 Petr. ii, 21.

boni fuerimus, et perfecte eum promeruerimus, Angelis æquemur: « Erunt, dixit, æquales Angelis Dei <sup>1</sup>. » Angelus ostendebat multa miracula sancto Joanni Evangelistæ, turbatus miraculis adoravit eum. Adoravit homo Angelum; et Angelus homini: « Surge, quid facis? Illum » adora: conservus enim tuus sum et fratrum tuorum <sup>2</sup>. » Si tanta humilitas apparuit in Angelo, quantam putatis esse debere in Martyre, sicut est? Non ergo credamus superbum esse Stephanum, cum putamus quia virtute sua facit quod facit. Per conservum beneficia sumamus, honorem et gloriam Domino demus. Quid vobis plus dicam et multum loquar? Legite quatuor versus, quos in cella scripsimus, legite, tenete, in corde habete. Propterea enim eos ibi scribere voluimus, ut qui vult legat, quando vult legat. Ut omnes teneant, ideo pauci sunt: ut omnes legant, ideo publice scripti sunt. Non opus est ut quæretur codex: camera illa codex vester sit. Aliquanto quidem temperius solito processimus: sed quia longa lectio recitata est, et graves æstus sunt, libellum beneficiorum Dei per ipsum, quem lecturi hodie fuimus, in diem Dominicum differamus.

<sup>1</sup> Matth. xii, 30. — <sup>2</sup> Apoc. xix, 10.

SERMO CCCXXI<sup>1</sup>.

*De homine sanato per orationes S. Stephani. Ubi Augustinus episcopus se excusat, quod sermonem facere non potuerit.*

Habitus ipso die Paschæ.

DE miraculis Dei per orationes beatissimi Martyris Stephani libello solemus audire. Libellus hujus, aspectus est; pro scriptura notitia, pro charta facies demonstratur. Qui nostis quid in illo dolentes videre soleatis, in præsentibus gaudentes legite quod videtis: ut Dominus Deus noster abundantius honoretur, et quod in libello conscriptum est, in vestram memoriam conscribatur. Date veniam, quia diuturnum non reddo sermonem: nostis etenim fatigueationem meam. Ut heri jejunos tanta agere possem et non deficere, ut et hodie vobiscum loquar, orationes sancti Stephani præstiterunt. Conversi ad Dominum, etc.

SERMO CCCXXI<sup>1</sup>.

*Ubi libellum sanati hominis promisit, feria secunda Paschæ.*

DIXIMUS quidem hesterno die, sicut meminit Charitas

<sup>1</sup> Alias de Diversis 29. — <sup>2</sup> Alias de Diversis 30.